

in fodinâ spectatur, tanquam ex causa materiali, juxta planam infra figuram, â latere rotundam, superiùs patentem & cavam, etiam antequam operatio sequatur, præconceptam, tanquam juxta causam formalem, â figulo physicè fit olla; ita metaphysicâ generatione similiter ex genere mineralium adhuc extra faciendam ollam constituto, tanquam ex causa materiali, juxta rationem filiciformem exteriùs adhuc præconceptam disposito, per naturam artis cognoscendi constructus & compositus dici potest Silex.

§. 12. Sed hæc omnia sapiunt adhuc *indeterminatam* & saltem denominativam ipsius Indistinctionis rationem, quâ puritas & indistinctio (primum Corporis cognoscibilis principium) saltem ut qualitas spectatur, & ad quæstionem *qualis Indistinctio sit* respondetur. De *quantitate* indistinctionis post alterum principium commodiùs agi poterit.

§. 31. Hæc igitur de *Positione purâ* dicta sunt. Quod *Remotionem puram* attinet, quâ ne quidem aliquid indistinctionis (nedum distinctionis & proprietatis) attenditur, sed res ipsa tota, quanta quanta conceptibilis est, è mente removetur & excluditur; facilè patet, quod hoc ipso menti cogitanti pro subjecto cogitationum remaneat NIHIL. Quod ipsum, si discretæ positioni simul opponitur, vocari solet NULLUM, h. e. *Ne ullum*, quasi nec unum, nedum duo vel plura. Quapropter ut *Materia* τὸ *Nihil*; ita *Numero* τὸ *Nullum*, ex adverso quasi stat, ut remotâ materiâ, nihil; remoto numero, Nullum, remaneat. Utroque simul dicto germani plenam negationem innuunt, cum dicunt, *Null und Nichts*.

### CAPUT III.

## De Principio Corporis modalis seu de Conceptu totius Essentiæ distincto, quem dicimus *Formam*.

§. 1.

**M**odali *Positione* Corpus (Lapis) nihil aliud est, quàm certo modo dispositæ, vel potiùs compositæ, partes extra partes, h. e. Numero